

LAS SENTENCIAS  
DEL MISMO PADRE

CONTENIDAS EN ESTE TOMO VI.

COMO SE HALLAN

EN LA LENGUA LATINA.

SENTENCIAS ESCOGIDAS.

DE SAN JUAN CHRISOSTOMO.

*Correspondientes al Capítulo I. Artículo IV.*

I. **T**unc diabolus sævior efficitur, cum nos viderit cum diligentia vitam nostram disponentes: cum viderit virtutis onera composita, & magnos acervos, tunc gravius inferre naufragium studet. (*Homil. 1. ad popul. Antioch.*)

II. In civitate blasphemantes castigat; si quempiam blasphemantem audieris, accede, increpa; & si verbera infligere oporteat, ne recuses: percussione manum tuam sanctifica: & si ulli accusaverint, si in iudicium traxerint, sequere; & si poenas Judex pro tribunali reposcerit, dic cum libertate, quod Regem Angelorum blasphemavit. Si enim Regem terræ blasphemantes punire oportet, multo magis illum contumelia afficientes. Et si mori opus sit, castigare fratrem ne torpeas, martyrium tibi hoc est. (*Ibidem.*)

III. Dispensemus salutem fratrum nostrorum: sufficit unus homo zelo fidei succensus, totum corrigere populum.

IV. Hospes es hic, & peregrinus, patriam habes in cælis: illuc omnia trans mitte, ut & antequam fruaris, hic retributionem capias. Qui enim bona spe alitur, & de futuris confidit, hic jam regnum gustavit. (*Ibid. homil. 2.*)

V. Vis ditari, habeas amicum Deum, & omnium ditissimus eris. (*Ibidem.*)

VI. Magna possessio paupertas, sapienter ipsam ferentibus; thesaurus, qui nequeat auferri. (*Ibidem.*)

VII. Multa quispiam in te convicia dixit: si contumelias deriseris, contumeliam non es passus. (*Ibidem.*)

VIII. Non os tantum jejUNET, sed & oculus, & auditus, & pedes, & manus, & omnia corporis nostri membra jejUNET. (*Homil. 3.*)

IX. Ne quis mihi dicat, tunc detraho, quando falsa dico. Nam licet vera loquens maledixeris, & hoc est crimen. (*Ibidem.*)

X. Etsi cinerem comedamus, nulla nobis asperæ vitæ hujus utilitas proderit, nisi detractio abstinence: non enim quæ intrant, coinquinant hominem, sed quæ exeunt ex ore. (*Ibidem.*)

XI. Pueri larvas quidem timent, ignem vero non timent... sic quidem & nos timemus mortem, quæ est larva contemptu digna; peccatum vero non timemus, quod est vere timendum. (*Homil. 5.*)

XII. Aliam causam, propter quam mortem timemus, vis commemorem? Non vivimus cum diligentia, non habemus conscientiam puram; quod si hoc esset, nihil nos mors terruisset. (*Ibid.*)

XIII. Agnosce quod in medio laqueorum pertransis. Non dicit juxta laqueos, sed in medio laqueorum... in domo laquei, in mensa laquei; in concionibus laquei. (*Homil. 15.*)

XIV. O Miraculum! Servi victi sunt, Dominus cru-



cifixus, & prædicatio quotidie crescit: & per quæ putabatur opera prohiberi, per hæc accensa est. (*Hom. 16.*)

XV. Hæc duo Chistus denuntiavit, tribulationem & remissionem, labores & coronas, suavia, & tristia: sed tristia quidem dedit vitæ præsentis, suavia vero in futurum distulit, pariter demonstrans quod non decipit homines, & ipsum gravium pondus ordine diminui volens. (*Ibid.*)

XVI. Si Christianus es, civitatem non habes super terram. Civitatis nostræ architectus est Deus: licet omnem capiamus orbem, hospites & peregrini totius sumus. In cælum ascripti sumus: illic conversemur, non more puerorum parvorum, magna contemntes parva admiremur. (*Hom. 17.*)

XVII. Artifex manualis es, sedens, psalle. Non vis ore psallere, hoc facias mente: magnus contubernalis est psalmus. (*Hom. 21.*)

XVIII. Dic continue: abrenuntio tibi Satana: nihil hac tutius voce, si ipsam per opera exhibeamus... Abrenuntio tibi, Satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo: & conjungor tibi, Christe. Cum hoc verbo & crucem in fronte imprime, sic nec homo, nec diabolus quicquam lædere poterit. (*Ibidem.*)

XIX. Apud Deum in præsentia consistentes, ipsumque invocantes, ne tantum quidem pudoris, & reverentiæ exhibemus, quantum servus dominis suis, aut miles ducibus, aut amici amicis. Cum amico colloquens, attente illud facis; cum Deo autem de peccatis tuis agens, & condonationem postulans, subinde torpescis, genibus humi positus, sæpe per forum, sæpe per ædes divagari mentem tuam sinis, ore tuo interim temere inaniterque garriente. (*Homil. 22.*)

XX. Quid eo mitius præcepto? Te Judicem fecit in condonatione tuorum criminum. Si pauca dimittis, pauca dimittuntur; si plura, plura: si ex corde dimittis, & sincere, eodem pacto tibi Deus remittit. (*Ibid.*)

XXI. Diès avolant, anni finiuntur, magnam viam nostram partem confecimus; quid boni à nobis factum est? Num inanes hinc omnique justitia destituti discedemus? Judicium Dei pro foribus est. Hæc in noviluniis meditare; hæc de annorum conversionibus revolve. (*Homil. 32. in observant. Novil.*)

XXII. Ne dicas, neminem posse omnia propter Deum facere. Quando enim vestitus, incessus, verba, consessus, ingressus, exitus, facetiæ, laudationes, vituperationes, commendationes, amicitia, inimicitia possunt propter Deum fieri; quid restat, si voluerimus quod non possimus propter Deum facere? (*Ibid.*)

XXIII. Quinque sunt poenitentia viæ; prima, peccatorum damnatio; secunda, cum proximis peccata dimittimus; tertia, quæ in oratione consistit; quarta, quæ in elemosyna; quinta, in humilitate. Noli igitur orari, sed quotidie per has omnes incede; sunt enim faciles viæ; neque paupertatem potes obtendere: quin possis iram deponere humilitatem præ te ferre, assidue precari, & peccata damnare. (*Homil. 4. de Bapt. Christi.*)

XXIV. Nemo animo resolutio sacras illas, & mysticas laudes ineat; nemo rerum vitæ humanæ consilia illo tempore volitet; sed in cælum quisque se transferat, utpote qui propinquus solio gloriæ stet, & cum Seraphim volitet, atque ita laudem sanctissimam referat summo, optimo, gloriosissimo Deo. (*Hom. 29. de incompr. Dei Nat. 4.*)

XXV. Aptissima arma oratio est, thesaurus perpetuus, portus quietus, denique auctor, parens, fons & radix bonorum omnium oratio est... orationem autem dico, non tenuem illam, & desidiosam; sed quæ intenta ex animo dolente, & corde contrito proficiscatur. Hæc enim est, quæ in cælum scandere valeat. (*Hom. 30. de incompr. Dei Nat. 5.*)

XXVI. Sicut enim, qui sibi nullius est conscius mali,



hunc oportet singulis diebus accedere : sic qui peccatis occupatus est , nec poenitet , eum ne in festis quidem accedere tutum est. (*Hom. 31. de Beato Philogonio.*)

XXVII. Nec censeas eleemosynam impensam esse , sed proventum ; neque sumptum , sed negotiationem : majora quippe recipis , quam das ; das panem , & recipis vitam æternam ; das vestem , & immortalitatis recipis indumentum ; das tecti communionem , & recipis regnum cælorum : præbes quæ pereunt , & quæ perpetuo permanent accipis. (*De peccatis. fl. Zebed. cont. homil. 8.*)

XXVIII. Ne dixeritis , quid mea refert ? Dominus propter nos mortuus est , tu vero ne sermonem quidem profers ? Quoties frater est ad meliora revocandus , etiam si vita sit impendenda , non recusabis. (*Homil. 35. adv. Jud. 2.*)

XXIX. Ne dixeris , hoc illi dixi , apud te ipsum contine verbum : quemadmodum enim tu non potuisti continere verbum , ita nec ille poterit tacere. (*Homil. 39. Orat. 6.*)

XXX. Molesta est febris ; verum oppone illi incendium gehennæ ; quod effugies omnino , si volueris illam febrem cum omni tolerantia perferre. Reputa tecum , quam multa passi sunt Apostoli ; considera justos perpetuo in afflictionibus fuisse. (*Ibid.*)

XXXI. Propterea Christianus es , ut Christum imiteris , ejusque legibus operum exhibitione parens. (*Ibid.*)

XXXII. Una anima quam lucrati fuerimus , potest innumerabilium peccatorum pondus abolere , animæque redimendæ fieri pretium. (*Ibid.*)

XXXIII. Magna res eleemosyna. Hanc amando faciamus , cui nihil æquale : potens est enim peccata alia delere , iudiciumque propulsare. Te tacente stat , & patrocinator ; immo vero nihil verbis est opus ; cum ipsa pauperum astant ora. Tum adeo exuberans , tamque magnum eleemosynæ bonum , & ipsi pigritamur , & concidimus. Da panem pro fa-

cultatibus tuis : non habes panem , da denarium : non habes denarium , da vel frigidæ aquæ calicem : atque neque id opus , vel malis oppresso compatere ; atque appensam mercedem habes. (*Homil. 57. de poenit. 3.*)

XXXIV. Nihil bonum , nisi virtus... nihil malum , nisi improbitas. (*Homil. 61. de fato , & provid. Orat. 1.*)

XXXV. Non Hæreticum , sed hæresim : non hominem aversor , sed errorem odio prosequor , & avellere conor. Non est mihi bellum susceptum cum substantia Dei opere , sed corrigere mentem volo , quam diabolus corruptit. (*Hom. 71. de 5. Phoc.*)

XXXVI. Si vis sublime aliquid ostendere virtutis , noli sublime sapere... noli te putare quicquam fecisse , quod feceris : sic absolutissimum erit opus. (*Hom. 3. in c. 1. Matth.*)

XXXVII. Non vult Deus laborum suorum fructus perire , quinimo omnia in tuum commodum facit , tibi que rem augere festinat... Si ingemueris solum , atque lacrymaveris , rapit ista confestim in tuæ occasionem salutis. (*Ibid.*)

XXXVIII. Non est nostrum assidue ridere , molli delectis , sed eorum potius , & earum , quæ spectantur in theatris... eorum , qui ad hoc facti sunt , parasitorum , & adulatorum. Non est , inquam , hoc eorum , qui ad æternum regnum vocati sunt , quique sunt in caelesti illa civitate conscripti ; non est spiritualia arma gestantium , quod certa proprium est diabolo militantium. Ille est enim , ille qui etiam in artem jocos , ludosque digessit. (*Hom. 6. in cap. 2.*)

XXXIX. Solet Deus ferè per contrariis ordinem suæ oeconomia implere , ut ingens hic suæ virtutis argumentum nobis exhibeat. (*Homil. 9.*)

XL. Super Apostolos sonus factus est Spiritus vehementis &c.... nunc vero etiam si evidentiæ signa non fiant , tamen quæ per illa demonstrata sunt suscipimus. (*Hom. 11. in cap. 3.*)



XXI. Terram quidem, quam paulo post relicturi sumus, multo cum studio paramus. Pro exiguis habitaculis non modo aurum, sed proprium quoque sanguinem frequenter impendimus: ut vero cælum emamus ipsum, ne hæc quidem, quæ nostris usibus superant, erogamus. (*Ibid.*)

XLII. Corpore male affecto, omnia facimus, omnia molimur, cuncta mercamur, ut ab ægritudine liberemur; anima vero nostra, tam male se habente, dissimulamus, semper differimus. (*Homil. 14.*)

XLIII. Sive orationem, sive jejunium, sive misericordiam, sive pudicitiam, sive aliud quid bonorum absque humilitate congreges; statim cuncta defluent, cuncta depereunt. Sicut superbia omnium fons malorum est, ita humilitas cunctarum origo virtutum. (*Homil. 15.*)

XLIV. De priori beatitudinis alicujus mandato, sequentis viam struens, auream nobis quandam catenam texuit. Cum enim quis humilis fuerit, etiam sua omnino lugebit peccata: qui autem luget, idem & mitis erit, justus, & misericors: at misericors, & justus, & compunctus, omnino etiam puro erit corde, qui vero talis est, erit etiam profecto pacificus: porro qui ista perfecit, erit absque dubio ad pericula præparatus, nec ad maledicta prorsus ulla tenebitur. (*Ibid.*)

XLV. Si viderimus vos in eisdem manentes, etiam interdicens vobis omnino sacri istius ingressum vestibuli, & cælestis participationem mysterii... melius namque est cum duobus ac tribus divinæ legis præcepta servantibus orationes Deo offerre solitas, quam inique agentium, cæterosque perdentium multitudinem congregare. (*Homil. 17.*)

XLVI. Non tantummodo dedisse eleemosynam, sed quemadmodum oportet dedisse, & propter quod oportet, virtutis est. (*Homil. 19. in cap. 6.*)

XLVII. Rerum ordinem per cuncta pervertimus, & contra Christi præcepta utrinque pugnamus... nolite, ait, præ-

sentia ista prorsus inquirere; nos hæc sola etiam absque intermissione sectamur. Quærite, inquit, & semper sola cælestia, nos vero ne unius quidem horæ spatio illa perseveramus inquirere: sed quantam in illis, quæ ad corpus necessaria sunt, curam ostendimus, tantam in spiritualibus habemus incuriam, imo longe etiam majorem. Sed nequaquam impunita manebit hæc vecordia, ac licentia. (*Homil. 23.*)

XLVIII. Cum ad Deum adimus, ita facimus hoc quasi nihil desideremus accipere. Non ea fide, qua congruit, deprecamur, sed oscitantes potius, ac prorsus tota mente torpentes, ea, quæ videmur postulare negligimus. (*Ibid.*)

XLIX. Non oportet exprobrare delictum, neque illum, qui peccato aliquo sit præventus, insolenter obruere, sed clementer monere: nec persequi jurgio, sed juvare consilio; nec cum insolentia in eum erigi, sed cum dilectione corrigere. (*Homil. 24.*)

L. Duo oportet adesse oranti, ut scilicet & vehementer petat, & illa, quæ petenda sunt. (*Ibid.*)

LI. Quid, inquires, quando spiritualia petiero, nec tamen ea fuero consecutus? Non studiose procul dubio postulasti, aut teipsum fecisti qui acceperis indignum, aut certe petere celeriter destitisti. (*Ibidem.*)

LII. Non accidit, ut homo ab omnibus vitis liberatus, aliquando despiciatur à Deo: sed & si in aliquo errore teneatur, cito illum Deus ad notitiam pertrahit veritatis. (*Serm. 25. in cap. 7.*)

LIII. Ille autem maxime novit seipsum, qui se esse nihil existimat. (*Homil. 26. in cap. 8.*)

LIV. Eleemosynam, & cæteras virtutes, excelsum animi robur, quo calamitates æquo animo ferimus, meo quidem judicio superat. (*Homil. 22. in cap. 9.*)

LV. Nihil ita sublimitatem philosophiæ ostendit, quam si nihil superfluum possideas: & quoad licet nulla re indi-



geas. (*Homil. 33. in cap. 9.*)

LVI. Domus priscis temporibus Ecclesiae erant; nunc ipsa etiam Ecclesia in domum redacta est. Nihil in privata domo carnale loquebantur, nihil nunc in Ecclesia spirituale memoratur. (*Ibid.*)

LVII. Dicis, te quotidie laborare, sed ostende mihi, si earum rerum aliquid tractas, aut facis, quae necessariae sunt? (*Homil. 36.*)

LVIII. Multa, inquis, mendacia pauperes fingunt. Ego vero hac etiam de causa majori misericordia moveor, cum in eam necessitatem incidisse homines video, ut impudentissime mendaciis vivere cogantur... non accepistis, dicentes, semel, ac bis? An ergo cibo rursus non indigent, quia semel, atque bis acceperunt? (*Ibidem.*)

LIX. Cuncta in his spectaculis turpissima sunt, verba, vestitus, incessus, voces, cantus, modulationes, aspectus, motus, tibiae, fistulae, ipsa fabularum argumenta; omnia, inquam, turpi lascivia plena sunt. (*Homil. 38.*)

LX. Si non essent, qui spectarent, nec essent, qui luderent; sic quoniam utrique sunt causa peccatorum, quae committuntur, ignem pariter patientur. (*Ibid.*)

LXI. In montem Christus ascendit, ut nos erudiat, cum orare opus sit, tunc solitudine, ac eremo nobis maxime opus esse, ut tam à tempore, quam à loco tranquillitatem orandi quaeramus, solus orans plerumque pernoctavit. Tranquillitatis quippe mater eremus est, quietis portus; omnis perturbationis expultrix. (*Homil. 51.*)

LXII. Tangamus & nos sicut Haemorrhoeissa fimbriam vestimenti Christi, vel potius si volumus, ipsum totum habeamus. Non enim vestis solum, sed corpus ipsius nobis propositum est, non ut tangamus solum, sed ut comedamus. Adeamus igitur Christum singuli aegrotantes magna cum fide. Nam si qui fimbriam vestimenti ejus tunc tetigerunt,

recte omnes convaluerunt, quanto magis corroborabimur, si totum in nobis habebimus? (*Ibidem.*)

LXIII. Omnia, quae ad salutem nostram conducunt, per crucem consummantur. Cum regeneramur, crux Domini adest: cum sacratissimo alimur cibo, cum in ordine consecrandi statuimur, ubique, ac semper id nobis victoriae signum adest. In penetralibus, in parietibus, in fenestris, in fronte quoque, ac mente magno studio crucem inserimus. Id enim salutis nostrae, communis libertatis, mansuetudinis, atque humilitatis Domini signum est. (*Homil. 55. in c. 16.*)

LXIV. Jejunare non potes, sed potes in deliciis non vivere, quod sane non parvum est, nec magno intervallo à jejunio distat. (*Homil. 58. in cap. 17.*)

LXV. Dei charitate non communitus nos, sed alios quosdam amicitiae praetextus quaerimus. Sic alius affinitate, alius consuetudine, alius vicinia, alius alia quadam ratione, nemo fidei, ac religionis pietate nobis amicus est. Cumque deberemus hinc solummodo amicitiae foedera contrahere. (*Homil. 60. in cap. 18.*)

LXVI. Non artes, non agriculturam, non militiam, sed nos ipsos vitupero. Et Cornelius Centurio fuit, & Paulus sutoriam artem profitebatur. David Rex fuit, & Job locupletissimus. (*Hom. 62.*)

LXVII. Maximum argumentum omnipotentiae Christi, quod viginti, aut ad summum triginta, ad omnes oras orbis Evangelium transcurrit... O rem novam, atque inauditam! Judaeorum innumera millia Romani tunc vicerunt, atque ceperunt, & à duodecim viris nudis, atque inermibus superati sunt. (*Hom. 76. in cap. 23.*)

LXVIII. Non perturbemur propter varium humanarum rerum defluxum, nec ratiunculæ humanae tempestatibus fluctuemur; sed incomprehensibilitati divinae providentiae cedentes, virtutes insequamur, & vitia fugiamus. (*Ibid.*)



LXIX. Quod nihil mali male viventes patiuntur, hoc ipsum argumentum est, quod post exitum è vita omnino punientur. (*Homil. 77.*)

LXX. O quam multi dicunt modo: vellem formam & speciem ejus, vellem vestimenta ipsa videre. Ipsum ecce vides: ipsum tangis, ipsum comedis.... seipsum tradit, non ut videas solum, verum etiam ut tangas, & in te habeas. (*Homil. 83.*)

LXXI. Quo non oportet mundio rem esse eum, qui hoc sacrificio participaturus est? Manus illa, quæ hanc carnem perrumpit, os, quod igne impletur spiritali, lingua, quæ cruentatur hoc admirabili sanguine? Veniat in mentem tibi, quo sis honore honoratus, qua mensa fruaris? Ea re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt... & nos in unam cum illo massam reducimur, Christi corpus unum, & caro una facti. (*Ibidem.*)

LXXII. Quis Pastor unquam membris suis oves suas nutrit? Multæ matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, & sibi conjungit, atque conglutinat. (*Ibidem.*)

LXXIII. Tanta charitate, atque honore affecti non torpeamus. Non videtis quanta alacritate infantes mamillas arripiunt? Qua pressione papillis infigunt labia? Non minori nos cupiditate ad hanc mensam, & ad hujus calicis spiritalem accedamus papillam: imo vero majori desiderio quasi lactentes pueri gratiam spiritus sugamus: unus sit nobis dolor, una moestitia, si hoc alimento spiritali privamur. (*Ibidem.*)

LXXIV. Si indignos à mensa repellere non audes, mihi dicas: non permittam ista fieri, animam prius tradam meam, quam Dominicum alicui corpus indigne: sanguinem meum effundi potius patiar, quam sacratissimum illud corpus præterquam digno concedam: quod si quis venerit cum

sordibus, vobis tamen ignotis, nulla culpa vestra est, modo multam prius adhibueritis diligentiam. Nam hæc mihi de notis, ac manifestis disputata sunt. (*Ibidem.*)

LXXV. Mirabile quiddam dicere audeo. Solet mihi nonnumquam non tanto studio magna peccata videri esse evitanda, quam parva, & vilia: illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura efficit: hæc autem, quia parva sunt, desides reddunt, & dum contemuntur, non potest ad eorum expulsionem animus insurgere generose. (*Homil. 87. in c. 27.*)

LXXVI. Cum pauperem videris, tunc verborum illorum recorderis, quibus secum esse qui alatur, declarat. Nam etsi id quod oculis nostris subjectum est, non sit Christus: sub hujus tamen habitu ipse accipit, & mendicat. (*Homil. 89.*)

LXXVII. Aurum quidem gestare ubique perniciosum est, tum vero maxime, cum Ecclesiam ingrederis. (*Homil. 90. in cap. 28.*)

LXXVIII. Audite ista quicumque pauperes estis, vel potius quicumque ditescere vultis. Pauperem esse non est malum, sed nolle pauperem esse. (*Homil. 91.*)

LXXIX. Si in quacumque domo Evangelium est, illuc diabolus non audet ingredi; quanto minus animam ei assiduis lectionibus familiarem, neque dæmon, neque peccatum attinget? Sanctifica igitur animam, sanctifica corpus; hoc contiget, si Evangelium semper & animo habueris, & lingua. (*Homil. 32. in cap. 3. Joann.*)

LXXX. Malitiam voluptas brevis, dolor perpetuus sequitur: contra virtutem labor brevis, gaudium sempiternum. (*Homil. 36.*)

LXXXI. Alii vigilando, in nuda humo dormiendo, carnem assiduis laboribus macerando, delent peccata: tibi faciliore via, nemini succensendo, idem consequi datur. (*Homil. 39.*)



LXXXII. Regnum cælorum vim patitur: non igitur desidia acquiri potest, sed cura, & diligentia... ut opus est multa; angusta est via, robusta anima opus est, & generosa. (*Homil. 54.*)

LXXXIII. Dedit tibi vitam Deus, ut se coleres; tu eam inutiliter consumis. Quæris quod sit damnum? Si vel parum argenti temere consumpseris, id omnino damnum appellas: sin totos dies in diaboli operibus consumpseris, nihil amisisse opinaris: poterit recuperari aurum, quod amittis, non poterit tempus, nisi difficilè. (*Homil. 57. in cap. 9.*)

LXXXIV. Nihil adeo ad sapientiam animum præparat, ut calamitas, tentatio, & afflictio. (*Homil. 60.*)

LXXXV. Mulieres, quam viros sapientiores esse oportet, quæ curæ familiari, ut plurimum incumbunt. (*Hom. 60.*)

LXXXVI. Omnia propter homines facimus, omnia propter præsentia. (*Homil. 62. in cap. 11.*)

LXXXVII. Lacrymatus est Christus super Lazaro, lacrymare tu, sed leniter, prudenter, & cum Dei timore. (*Ibid.*)

LXXXVIII. Nihil prodest vita bona cum prava doctrina: ut contra, nihil sana doctrina cum vita corrupta. (*Homil. 66.*)

LXXXIX. Quanto plura amplecteris, tanto magis tuæ derogas libertati. Vera namque libertas est, nulla re indigere; in secundo loco, minimis. (*Homil. 80. in cap. 14.*)

XC. Nulla nobis erit utilitas, sive jejunamus, sive precamur, sive miseremur, sive quodvis aliud facimus, nisi propter illum solum fiant, qui novit & abscondita, & quæ in profundo mentis sunt recondita. (*Hom. 8. in c. 1. Genes.*)

XCI. Nullam nos unquam diem transigere oportet, si possibile est, per omnem vitam nostram, in qua non lucrum aliquod spirituale in nobis reponamus: vel per preces, vel per confessionem, vel per eleemosynam, vel aliqua alia spiritualia bona opera. (*Hom. 11. in cap. 2.*)

XCII. Beatus, qui fecerit, & docuerit. Multo fidelior & certior doctrina operum, quam sermonum. (*Homil. 13.*)

XCIII. Sicut esurire signum est bonæ valetudinis corporalis; ita amare divina eloquia spiritualis sanitatis indicium fuerit maximum. (*Homil. 15.*)

XCIV. Num grave aliquid, & molestum à nobis requirit Deus? Contritionem vult cordis, compunctionem mentis, confessionem casus, sedulitatem continuam: & non solum largitur vulnerum curam, sed & eum, qui antea innumeris peccatorum sarcinis gravabatur, justum efficit. O misericordiæ magnitudinem! O bonitatis excellentiam! (*Homil. 20. in cap. 4.*)

XCV. Cum quis amore Dei saucius fuerit, & in eum desiderio suo tendit, nihil visibilium videt: sed continuo eum, quem desiderat, imaginatur, & in nocte, & in die, & cubans, & surgens. (*Homil. 23. cap. 6.*)

XCVI. Imitemur Dominum nostrum: dimittamus, si quid in nos peccatum fuerit; quando autem in Deum peccatum refertur, tunc poenas exigamus. (*Homil. 26.*)

XCVII. Ubique studeamus mentem afferre incorruptam. Ista enim causa est omnium bonorum. Bonus enim Dominus non consuevit attendere ad ea, quæ à nobis sunt, sed ad internam mentem, à qua, ut hæc faciamus, impellimur; & hæc spectans, vel approbat ea, quæ à nobis sunt, vel aversatur. Itaque sive precemur, sive jejunemus, sive eleemosynam faciamus, sive aliud quoddam spirituale opus, hoc faciamus bona mente, ut laboribus dignam referamus coronam. (*Homil. 27.*)

XCVIII. Orate omni tempore, inquit Paulus, orate, & in spiritu: non lingua tantum, & cum perpetua, inquit, vigilantia, sed & in spiritu: spirituales sint petitiones vestræ, sobria sit ratio, & iis quæ dicuntur, mens intendat. (*Hom. 30.*)

XCIX. Posset quidem præstare Deus antequam peti-